

## DE IURIS ET FACTI IGNORANTIA.

### 1.18.1

*Imp. Antoninus A. Maximo militi.*

Quamvis, cum causam tuam ageres, ignorantia iuris propter simplicitatem armatae militiae adlegationes competentes omiseris, tamen si nondum satisfacisti, permitto tibi, si coeperis ex sententia conveniri, defensionibus tuis uti.

*D. VII k. Mai. duobus Aspris cons.* [a. 212]

### 1.18.2

*Idem A. Sextio Iuvenali.*

Cum ignorantia iuris excusari facile non possis, si maior annis hereditati matris tuae renuntiasti, sera prece subveniri tibi desideras.

*PP. XV k. Nov. Arriano et Papo cons.* [a. 243]

### 1.18.3

*Imp. Philippus A. Marcellae.*

Si emancipata a patre intra annum bonorum possessionem petere cessasti, praetendere iuris ignorantiam nullis rationibus potes.

*PP. XVI k. Iul. Peregrino et Aemiliano cons.* [a. 244]

### 1.18.4

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA Iulianae.*

Si post divisionem factam testamenti vitium in lucem emerit, ex his, quae per ignorantiam confecta sunt, praeiudicium tibi non comparabitur, ostende igitur apud correctorem virum clarissimum amicum nostrum testamentum vel fide veri deficere vel iuris ratione stare non posse, ut infirmata scriptura, quae testamenti vice prolata est, solidam successionem obtineas.

*D. VIII id. Iul. Diocletiano III et Maximiano III AA. cons.* [a. 290]

### 1.18.5

*Idem AA. et Constantius et Maximianus nobilissimi CC. Martiali.*

Cum falsa demonstratione mutari substantia veritatis minime possit, respondendo id quod paternum erat ex maternis esse bonis nihil egisti.

*D. prid. k. Ian. Diocletiano V et Maximiano III AA. cons.* [a. 293]